

## ANAPHORA APOSTOLORUM ADDAI ET MARI

Translated by C. Giraudo (cf *La struttura letteraria...* 325.327)  
based on the critical edition by W.F. Macomber (cf *The Oldest Known...* 358-371)

Dignum est laude ab omnibus oribus  
et confessione ab omnibus linguis  
nomen adorabile et laudabile Patris et Filii et Spiritus Sancti,  
qui creavit saeculum in bonitate sua  
5 et habitatores eius in miseratione sua,  
et redemit homines in clementia sua  
et fecit bonitatem magnam erga mortales.  
Maiestatem tuam, Domine, adorant  
10 mille milium supernorum et myrias myriadum angelorum,  
exercitus spiritualium, ministri ignis et spiritus,  
cum Cherubim et Seraphim sanctis  
nomen tuum laudant,  
clamantes et laudantes ...  
Sanctus, sanctus ...  
15 Et cum illis virtutibus caelestibus confitemur tibi, Domine,  
nos quoque servi tui tenues et infirmi et miseri,  
quia fecisti in nos bonitatem magnam quae non rependitur:  
nempe induisti humanitatem nostram  
ut vivificares nos per divinitatem tuam,  
20 et exaltasti oppressionem nostram  
et erexisti casum nostrum,  
et resuscitasti mortalitatem nostram  
et remisisti debita nostra,  
et iustificasti peccatum nostrum  
25 et illuminasti intelligentiam nostram,  
et devicisti, Domine noster et Deus noster, inimicos nostros  
et triumphare fecisti tenuitatem naturae nostrae infirmae  
in misericordiis abundantibus bonitatis tuae.  
Et propter omnia ... (Amen)<sup>1</sup>  
30 Tu, Domine, in misericordiis tuis multis  
quae enarrari non possunt,  
fac memoriam bonam omnium patrum rectorum et iustorum  
qui placuerunt coram te  
in commemoratione corporis et sanguinis Christi tui,  
35 quod offerimus tibi super altare purum et sanctum  
quemadmodum tu docuisti nos;  
et fac nobiscum tranquillitatem tuam et pacem tuam  
omnibus diebus saeculi: (Amen)  
ut cognoscant te omnes habitatores terrae  
40 quia tu es Deus Pater verus solus;  
et tu misisti Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum et dilectum tuum;  
et ipse Dominus noster et Deus noster  
docuit nos in evangelio suo vivificanti  
omnem puritatem et sanctitatem,  
45 prophetarum et apostolorum et martyrum et confessorum  
et episcoporum et presbyterorum et ministrorum  
et omnium filiorum ecclesiae sanctae catholicae

qui signati sunt signo vivo baptismatis sancti.  
Et nos quoque, Domine, servi tui tenues et infirmi et miseri,  
50 qui congregati sumus et stamus coram te in tempore hoc,  
accepimus in traditione typum qui a te est,  
laetantes et celebrantes  
et exaltantes et commemorantes et laudantes  
et facientes mysterium hoc magnum et tremendum  
55 passionis et mortis et resurrectionis Domini nostri Iesu Christi.  
Veniat, Domine, Spiritus tuus Sanctus,  
et quiescat super oblationem istam servorum tuorum,  
et benedicat illam et sanctificet illam,  
ut sit nobis, Domine, in propitiationem debitorum  
60 et in remissionem peccatorum  
et in spem magnam resurrectionis e domo mortuorum  
et in vitam novam in regno caelorum  
cum omnibus qui placuerunt coram te.  
Et propter omnem dispensationem tuam mirabilem erga nos,  
65 confitemur tibi et laudamus te indesinenter  
in ecclesia tua redempta in sanguine pretioso Christi tui,  
oribus apertis et faciebus revelatis,  
referentes ...  
Amen.